

## RETRACTATIO GUNTHARII

ADRIANO II DATA.

**Pro**steor ego Guntharius coram Deo et sanctis ejus, vobis, Domino meo Adriano summo pontifici et universali papæ, ac venerandis tibi subditis episcopis reliquoque conventu, quoniam iudicium depositionis in me a domno Nicolao canonice totum non reprehendo, sed humiliter porto. Unde nec ulterius sacrum ministerium contingere præsumo, nisi per misericordiam mihi subvenire volueritis, nec aliquando contra sanctam romanam Ecclesiam aut ejus

**A** pontificem aliquod scandalum vel quidquam adversi movere volo, sed devotum me eidem sanctæ matri Ecclesiæ ejusque præsuli exhibere atque obedientem permanere protestor. Ego Guntharius huic professioni a me factæ manu propria subscripsi. Data Kalendarum Julii, indictione II, in ecclesia Sancti Salvatoris, quæ est in monasterio Sancti Benedicti in Cassino.

## THEODGAUDI, GUNTHARII ET ARDUICI

## EPISTOLA AD HINGMARUM.

( Apud Labbeum, Conciliorum generalium tomo VIII, col. 762.

**Optabili** in Christo fratri **IGMARO** [Hincmaro] **THEODGAUDUS** primas Belgicæ Galliæ, **GUNTHARIUS** Agrippinensis Colonix, et **ARDUICUS** Vesontionensis Ecclesiæ episcopi salutem et pacem.

**Relegimus**, frater, et utinam frater **Igmare**, libellum tuæ accusationis adversus **Hilduinum** dilectum filium et fratrem nostrum, ut credimus idoneum virum, in quo ipsum officio pastorali indignum asseveras, et causas te scire, pro quibus isdem electus ordinari non debeat, exclamas. Quamvis ab hac improbitate hoc solummodo te revocare vel temperare debuisset, quod ille tuus domnus et nutritor fuerit charus, si tamen memor et non ingratus fore voluisses, cujus iste et alinitatem refert et nomen. Nunc quoniam delator esse voluisti, quod restat non omittas. Te enim expoliasti iudicio, dum criminationis chartulam, quod tuo officio et honori, ut æstimamus, non competebat, propria manu, quod negare non potes, in conventu regum principi nostro **Lothario** inconsulte porrexisti, ac memoratum **Hilduinum**, nosque pariter suspectos reddi-

**disti**. Ergo quia te objecta probaturum promisisti, consequens est, ut exsequaris quæ promisisti: unde et te canonica commonemus auctoritate, et accusationis tuæ executionem canonice prosequaris. Quod si te accusationi subtraxeris, et probationi defueris, noveris te canonicis de accusatoribus regulis subjacere. Calumniæ vero quas synodalibus decretis obumbrare nisus es, in te atque in æquivocum nepotem tuum, qui ita proveci estis reflectuntur. Quorum neuter ex illa fuit ecclesia, in qua ambitione atque favore potentatus inthronizatus esse dignoscitur. Hac conditione dehinc exigente synodo te adesse oportebit, quæ Idus Martias apud urbem **Mediomatricum**, Christi favente gratia, celebrabitur: ubi sepefatus frater aut tua probatione vincatur, aut sua defensione liberetur. Ubi quoque et nos tibi ex omnibus, quæ de ecclesia **Camera-censi** scribens monuisti et reprehendisti, rationes reddendo respondere valeamus. In Christo te valere optamus.

## EORUMDEM

## EPISTOLA AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS.

**Venerabilibus** in Christo fratribus archiepiscopis et episcopis in regno eximii regis Ludovici constitutis **THEODGAUDUS** Belgicæ Galliæ primas, **GUNTHARIUS** Agrippinensis Colonix, **ARDUICUS** Vesontionensis, **ROTLANDUS** Arelatensis, **TADO** Mediolanensis

**D** Ecclesiarum archiepiscopi, eorumque coepiscopi salutem et pacem orant et optant.

Diversis Ecclesiam Dei perturbationibus concutit et percelli quotidie exterius cernimus ac suspiramus: interius vero vexari eam atque exuri in suo-